

di nequiens, calorem ventriculorum cordis suffocat. Hic; dum calor cordis, ob justum sanguinis ingressum, ex nimia constrictione cordis ventriculorum subito facta, subito impeditum, subito extinguitur.

*Spes* est lætitia ex opinione desideratum bonum adipiscendi.

*Metus* est tristitia ex opinione desideratum bonum non acquirendi.

Quia autem plerumque argumenta, quibus bonum aliquod desideratum acquirendum vel non acquirendum esse judicamus, non plane indubitata; sed tantum verisimilia, & ita contingentia censemus, ita ut contrarium, quam speramus vel metuimus, credamus posse evenire, hinc *spem comitatur plerumque metus, & metum spes.*

Atque *hoc illam præbet utilitatem*, ut nos in omnem eventum, adversus omnia incommoda, prudenter, & quantum fieri potest, armemus.

*Spes* omni metu destituta *securitas* dicitur.

Hæc quia omnem periculorum & incommodorum imminetium adimit cogitationem, impedit quo minus adversus ea nos armare possimus, ac ideo *sæpissime nos in maxima pericula & incommoda præcipitat.*

*Metus* ab omni spe vacuus *desperatio* appellatur.

Hæc, quia sæpissime ingens vindictæ desiderium adversus incommoda & pericula imminetia excitat, *maximam in nobis producit spirituum agilitatem, qua pericula & incommoda magnâ vi aggredimur, & interdum etiam præter opinionem superamus.* Hinc dicit Poeta: *Una salus victis nullam sperare salutem.*

*Benificencia* est lætitia, ex opinione beneficii accepti orta, & desiderio illud beneficio compensandi comitata.

*Ira* est tristitia, ex opinione iujuriæ illatæ nata, & vindictæ cupiditate conjuncta.

*Irati*, in quibus *tristitia vindictæ desiderio est vehementior*, præ *ira solent expallescere*, ob spiritus ex magna illa tristitia, in fibras cordis vasorumque ejus constrictorias fortius determinatos, ac justam sanguinis incalescentiam & in faciem reliquumque corpus distribu-

tribu-